

477

HERMENEUTICI.

478

sacrificio addendo &c. XIX. *De agno vel victima paschali allegoria.* XX. *Allegoria et descriptio Arcæ foederis.* XXI. *Variae sacrificiorum et holocaustorum allegoria.* Ita Libri sequentes hujus I. *Voluminis* agunt de *Binario, Ternario, Quaternario* et *Quinario*, quibus subnexus est totius Operis Elenchus.

CLXX. VIII. 9. 10.

586

Volumen II. Folior. usque ad 690. procurrentium incipit a *Libro VI.* qui de *Numero Senario* tractat, definitque cum *Libro XX.* quo *Millenarius*, ejusque *Progressus* varii illustrantur. De *Autore* id adjiciendum videtur, fuisse eum fratrem *Georgii Stengelii Jesuitae*, confundique quandoque *Opera*, quibus *Par istud Fratrum πολυγραφον* Remp. *literariam* auxit.

CLXXI. VIII. 9. 15.

591

Codex membraneus lat. *Sec. XII.* *Folior.* 209. 4. probe scriptus, rubricisque distinctus sequentia continet: I. *Incipit prefatio in collectione distinctiva de diuersis Acceptionibus verborum.* Initium: *Diuersas in sacra scriptura uerborum acceptiones minus studiosis lectoribus colligere curavi &c.* *Hinc est quod inter occupationes plurimas tam mee paupertati quam amicorum utilitati consulens. multiplices sacre scripture paginas percurri. doctorumque uolumina lustravi &c.* Primum, quod tractat, Ver-

bum *Aqua* est, de qua sic: *Aqua spiritui sancto comparatur quia refrigerat ut ipse.* *Vnde spiritus sanctus superueniet in te et virtus altissimi obumbrabit tibi. Reficit. ut ipse.* *Vnde venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego vos reficiam. Et aqua sapientie salutaris potabo illum. Semper fluit ut ipse.* *Vnde spiritus ubi vult spirat. Igitur est aqua refrigerans. Aqua reficiens. Aqua rigans. &c.* Ita deinceps nullo seruato ordine diuersa *Scripturae* *Sensa* literaliter aut allegorice exponuntur, comparantur, illustrantur, nullo *Doctorem*, quos *Autor* se lustrasse supra dixit, nomine expresso. Neque mihi de ejus nomine, aut patria est, quod dicam, nisi quis *Germanum* velit ex eo, quod in *Titulo de Pane fol. 42.* scribit: *sicut Zuchare uel alia species solet diutius in ore teneri ob sui saporem.* Claudis ille *Collectionem* suam his verbis: *Et ego gratias semper agam domino et eum laudabo et finem faciam in hoc scripto.*

II. *fol. 112. p. 2.* sequitur *Sylloge Sermonum* facile *LIV.* ut plurimum brevium, ejusdem, ut videtur, *Autoris.* *Themata* varia sunt, de *Festis Domini*, de *B. V. de Apostolis* et *Confessoribus* generatim, de *S. Johanne Bapt.* *Praeterea de Canticis, de Levitis, de Triplici Mensa, de Apocalipsi, Sermo penitentialis, et moralis &c.* Initium *Sermonis I. In vigilia Nativ. domini* est: *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa &c. fidelis*